



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sectio I. Quædam breviter circa nomen Incarnationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De Divini Verbi cum nostrâ naturâ nexu:
sive de INCARNATIONE.

IN hac tertiâ parte de Christo sive de Deo homine agit Doctor Angelicus, in quo mysterio tot in unum veluti nodum colliguntur mira, ut non immeritò, illud Patres & Concilia, Sacramentum miraculorum, primum opus Trinitatis, & ænigma sacratissimum vocitent.

Contendisse siquidem inter se quodammodo hic videntur Sapientia Divina & amor, utrùm illa in excogitando potentior fuerit, an hic in exequendo, bonùmque illud infinitum, quod naturâ est diffusivum sui, hic non se diffudisse solum videtur, sed effudisse. Duplici prius communicatione, aternâ illâ quidem & necessariâ ad intra se diffuderat, per intellectum Filio, Spiritui Sancto per voluntatem, nunc verò novo quodam, ut ita dicam artificio, nobis se ad extra communicat, naturâque nostram divino planè & admirabili vinculo, atque ad cujus vel umbram omnis caligabat antiquitas, nobis se ad extra communicat.

SECTIO PRIMA.

Quadam breviter circa nomen
Incarnationis.

VARII olim nominibus appellabatur hoc mysterium, à quibusdam enim *Incorporatio*, ab aliis, ut à sancto Joan. Damasc. lib. 3. de Fide. cap. 6. *Ἐνσάρκωσις* dicitur, seu *Inhumatio*: usus tamen hodie obtinuit ut græcè *Ἐνσάρκωσις*, latinè *Incarnatio* nuncupetur, quæ vox miram illam divini Verbi cum naturâ humanâ communicationem significat, vel quod caro idem subinde sonet quod homo, ut *Omnis caro corrumperat viam suam*; Gen. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*; Luca 3. vel quod summam Dei in nos benignitatem commendet, dum abjectiorem hominis partem sibi eum conjunxisse denotat, vel denique, ut Manichæorum, aliorumque hæreticorum retundatur audacia, qui Christum non veram, nostrâque similem, sed phantasticam tantum & imaginariam assumpsisse carnem dictitabant, quos tamen conficit & vox ista ab Ecclesia

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

passim in hoc mysterio usurpata, & Joannis fulmen illud: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Quare rejiciendi planè sunt hac in parte Grammatici quidam, qui *Incarnationis* vocem ut novam minùsque elegantem respuunt, quod apud primæ Latinitatis auctores non reperiatur. Contra quos ne ceptam semel de hoc Mysterio disputationem inturbent, quibus alioqui sæpius occurrendum foret, valeat vox illa viri omnibus numeris absolutissimi, superiorisque sæculi gloriæ Patris Edmundi Campiani, in libro de Præceptis eloquentiæ, ab eo conscripto, qui, cum quibusdam vox *passio* minus saperet, nec Christi *passionem*, sed *perpassionem* dici vellent, quod ea vox apud Ciceronem nusquam extaret: *Per me quidem, inquit, potius in Tiberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quam hujus unius dictiuncule jactura fiat*: quod sanè de istorum libris longè æquiore jure dixisset. Sed de his satis.

De sacratissimo itaque Incarnationis Verbi ænigmate in præsentî nobis agendum, divinusque hic pro viribus solvendus nodus, quod nunè duce Divo Thoma & auspice aggrediemur.

V 1

SECTIO